



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De femina à daemónio liberata, & ab eodem ob inobedientiam confracta,  
cap. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

sus, in agrum cucurrit, vbi canem mortuum inueniēs, carnes eius foetentes avidissimè comedere cœpit: & quia in carnibus peccauit, in carnibus punitus est. Quid de eo postea actum sit, ignoro. Hæc duo miracula mihi narrauit magister Ioannes Decanus Aquēsis, asserens sibi illa veraciter recitata. Audiant hæc monachi, & obediant, neque inconditam abstinentiã charitati præponant. Aliud adhuc referam exēplum, per quod cognosces quàm bona sit virtus charitatis, quàm periculosum vitium inobedientiã.

## CAPVT X.

**N**obilem quandam feminam in Saxonia diabolus obsidens, durissimè vexauit: quam dum pro remedio sanitatis ad diuersa sanctorum limina ministeriales eius duxissent; die quadam sacerdos quidam superueniens, forma quidem despectus, sed gratia Dei præditus, vexationi illius compassus est: ex multa enim charitate Dominum exorãs, dæmonium eiecit, feminam sanitati restituens: cui dedit in mandatis, vt per 30. dies in eodem loco manens, quotidie communicaret, & singulas horas canonicas prædictorum dierum peraudiret. Quod cū fecisset nouem diebus, nihil mali sui deinceps suspicantes, abduxerūt eam. In via turbine maximo impulsã atque dejectã, sic totaliter contracta est a diabolo, vt omnia eius membra, humanis visceribus similia apparerent. **A**POLLONIVS: Quæ fuit causa pœnæ tam crudelis? **CÆSARIUS**: Inobedientia. Simile habes in dialogo sancti Gregorij, de quodam clerico obsesso, & à sancto Benedicto liberato: cui cū præcepisset, ne vnquã ad sacros ordines accederet, & ille post multos annos transgressor existeret, mox eum diabolus inuasit, tam diu vexans, donec spiritum exhalaret.

*Greg. l. 2  
dial. c. 16*

## CAPVT XI.

**A**bbas de Nuinburg, quæ est Abbatia ditiss. *De Cha-  
ritate &  
cõpassio-  
ne fratris  
na.*  
ma nigri ordinis in Saxonia, nuper per nos  
transiens, retulit nobis miraculum de curatio-  
ne cuiusdam obsessæ iocūdissimum. Est, inquit, apud  
nos miles quidã religiosus, Albertus nomine, cogno-  
mento